





2b. 15





TRACTATIO ACADEMICA.

*In qua*

Tertium juris objectum

*De*

ACTIONIBUS.

*J. C. S. M.*

Cum consensu Amplifs:

Facultatis Juridicæ in inçlyta  
Gryphisylvana,

*SUB PRÆSIDIO*

D. JOACHIMI Gerstens/

*Ex puro Institutionum textu metho-  
dicè delineatum,*

Disputantium examini exponitur

*RESPONDENTE*

HIERONYMO SCHEPSIO

Budessâ - Lufato.

*Ad diem 7. Februarij Anni 1624.*

---

G R Y P H I S W A L D I

*Excudebat JOHANNES ALBINUS,  
Academia Typographus.*

92.

704





*Illustribus, Magnificis & Generosis  
Dominis,*

**DN. DN. MELCHIORI**  
DE RECHENBERG, L. B. de Klitschdorff  
& Primkenau, Domino in Schlava, W  
tenburg, Rottenburg & Win-  
dischborau.

**DN. CHRISTOPHORO**  
GEORGIO à BERGE, in Herndorff &  
Claden, Buræ, Freywaldæ & Leipæ Domino,  
Judicij Regij Ducatus Glogoviensis  
Adfessori laudatissimo.

**DN. JOHANNI à BERGE,**  
in Herndorff & NEUGABEL, &c.

*Dominis suis clementer Gratosos &  
Patronis summis*

Tractationem hanc Juridican

*submissè consecrat*

**HIERONYMUS SCHEFSIUS**  
Aut. & Resp.



J. C. S. M!  
ANALYSIS

TERTII JURIS OBJECTI  
*De*  
ACTIONIBUS.

THESIS I.



Objecta juris civilis tria sunt: PERSONÆ,  
RES & ACTIONES. §. *fin. In. de jure na. gen.*  
& *c. l. i. ff. de stat. hom.* Quam distributionem  
quidam ex Interpp. ut vitiosam rejiciunt.  
A quibus meritò recedimus, & Imper. divi-  
sionem retinemus.

2. Horum objectorum illud, & istud  
hactenùs disputando perlustravimus. Hoc  
De ACTIONIBUS in præsentì ex IPSO INSTIT: TEXTU deli-  
neabimus, & ad disputationis incudem revocabimus.

3. Dispositio titularum Institutionum de dicto juris objecto  
tertio aliundè melior non desumitur, quam à personis judicium  
constituentibus; licet hoc pauci tangant, sed pleriq; variant.

4. Personas principales judicium constituentes TRES esse  
novimus. 1. ACTOREM. 2. REUM. 3. JUDICEM. *text. in c. forus.*  
*v. in omni. extr. de V. S.*

5. Secundum hæc tres judicij personas Primò agitur de illis  
quæ Actoris sunt *tot. tit. de Action. cum sex seqq.*

6. Secundò proponitur defensio Rei. *tit. de Exception. cum seqq.*

7. Ubi inseruntur tituli duo & ad actorem & ad reum spectan-  
tes: Unus quidem de Interdictis; Alter de pœna temerè litigan-  
tium. Quia in interdictis retinendæ possessionis par utriusq; litiga-  
toris est conditio, nec quisquam præcipuè reus vel actor intelli-  
gitur, sed unusquisq; tam rei quam actoris partes sustinet. §. *penul. in*  
*fin. l. de interd. l. 37. §. 1. in fin. ff. de Ob. & Act.*

8. ~~Constitutio~~ *in tit. de pœna tem. litig.* tam agentium temeri-  
tas, quam eorum cum quibus agitur inibi dictatis pœnis coercetur.  
*princ. d. t.*

B 2

9. Ter-



9. Tertiò consideratio de officio *Judicis* subijcitur. *tit. de officio judicis*. Quibus deniq; tractatio de speciebus publicorum judiciorum *tit. final. epilogi* loco adjicitur.

10. Ut igitur priùs de ACTIONE videamus, eam plenè & benè definiri putamus: Quod Actio sit jus, id est, formula (secundum veram Cujacij opinionem) in judicio persequendi quod sibi debetur. *princ. In. h. tit.*

11. Convenit illa definitio actionibus omnibus, tum personalibus, tum etiam realibus & popularibus, *l. 178. §. fin. ff. de V.S. §. 11. ibi, ex albo. In. h. t. junct. l. 7. in fin. pr. ff. de jurisd.*

12. Et dividitur re&e actio 1. secundum species. 2. juxta affectiones.

13. Species seu genera Actionum duo sunt: In rem, quæ dicitur vindicatio. Et in personam quæ condictio appellatur. *§. 1. In. h. t. l. 25. in princ. de O. & A. §. 15. Appellamus. In. eod.*

14. Utramq; subdividit Vultejus: Realem nimirum in petitoriam & possessoriam, illamq; vindicationem, hanc interdictum, appellat *lib. 2. I. R. ca. 21. n. 5.* Personalem in conditionem propriè ita dictam; & Præjudicialem. *d. lib. 2. I. R. ca. 5. n. 8.* Quæ dichotomia felix quidem esset, nisi 1, *d. ca. 5. n. 6. v. Id verò est potestas & obligatio*, à Magni nominis Jctis neotericis, quo ad obligationem Vultejus disertis juris fundamentis solide refutaretur; Et 2, *n. 7. d. c. 5. propter, §. 13. In. de A.*, ubi præjudiciales in rem esse dicuntur, in quæstione adhuc esset. Nisi deniq; interdictum, communi quidem actionis nomine contineretur, propriè tamen ab actione, etiam hodie origine & materia differret. Cum interdicta omnia sint Prætorialia; & ferè de possessione dentur. Quæ etiam causa est, cur tam in Instit., uti diximus, quam in ff. & C. demum post actiones de interdictis exponatur.

15. In rem itaq; actio est, per quam rem nostram, quæ ab alio possidetur petimus. *d. §. 1. hic. d. l. 25. pr. ff. O. & A.*

16. Et semper adversus eum est, qui rem possidet. *d. l. 25.* Adeoque actio in rem duabus ex causis proficiscitur, ex possessione & dominio. *l. un. in princ. C. de alien. jud. mut. ca. l. 24. §. 2. ff. de judic.*

17. Quia autem res vel corporales sunt vel incorporales; *tit. In. de reb. corp. & incorp.* Idcirco de incorporalibus rebus prodita est actio confessoria & negatoria. *§. æque. 2. In. h. t. to. tit. ff. si serv. vindic. tit. si ususfr. per.*

18. Quæ



18. Quæ actiones, secundum veram sententiam non de servi-  
tutibus duntaxat competunt, sed etiam de alijs quibusvis rebus in-  
corporalibus. *l. 9. §. 2. in fin. ff. de damn. infect. §. Rei autem. 2. F. 8.*

19. Confessoria confitetur & asserit actor jus sibi in re com-  
petere. Negatoria intendit rem suam non debere servitutem ad-  
versario. Quod genus actionis in controversijs rerum corpora-  
linum uno casu proditum esse, remissivè adijcit Imp. *in fin. d. §. æque.*

20. Is casus quæsitus hætenus à multis; inventus autem ad-  
huc à nemine. Ideoq; quidam in textu legendum putant *non uno*. Alij  
exaudiunt non uno quidem, sed pluribus, ut in actione familiae her-  
eiscundæ, *com. divid. & fin. regund. vid. Ioh. Schneid. ad d. v. Sane non*  
*uno*. Quibus calculum nostrum adijcimus.

21. Porro in personam actio est, qua cum eo agimus qui obli-  
gatus est nobis ad faciendum aliquid vel dandum, & semper adver-  
sus eundem locum habet. *d. l. 25. in fin. princ. ff. de O. & A. §. 1. In. eod.*  
Aliquandò tamen propria realis actionis cum ea communicantur,  
ut detur adversus quemcunq; possessorem; Qua ratione dicitur *in*  
*rem scripta*, id est, quæ nullam personæ obligatæ mentionem facit,  
sed in ipsam rem digitem intendit. *l. 3. §. 3. ff. ad exhib. l. 14. §. 16. ff. de*  
*furt. l. 7. in fin. C. de revoc. donat.*

22. De personali actione intelligenda est vulgata regula, obli-  
gatio est mater actionum; scilicet personalium, non realium. *§. 1.*  
*d. l. 25. de O. & A.*

23. Atq; hæc est omnium actionum summæ divisionis in duo  
genera diductio: An verò præter eam detur mixta quædam actio-  
num species in *§. quædam 20. In. h. t.* Spinosa est quæstio? Nos, ut eò  
perfectior sit bimembris proposita distinctio, negativam tuebimur,  
quod non sint actiones mixtæ, quæ mediam inter reales & persona-  
les actiones speciem constituent. Quia actiones *in d. §. quædam In.*  
*de A.* notabiliter ipse Justinianus personales vocat. *l. 1. §. 1. ibi, jubemus*  
*omnes personales; & ibi, cujuscunq; personalis actionis. C. de annali except.*  
Ad quem textum libenter dissentientium responsionem audiremus.

24. Sequuntur communes actionum affectiones, per formam  
divisionis in textu explicatæ: *§. sequens illa divisio. 16. §. omnes 21. §.*  
*Actionum. 28. §. sunt præterea. In. de A.* id quod neminem commove-  
re, ne dicam turbare debet.

25. Affectiones illæ vel ex causis sunt, vel ex modo quodam  
consentaneis, subjectis videlicet & adjunctis.

26. Quæ



26. Quæ ex causis descendunt, 1. ex causa efficiendo sunt Civiles & Prætorix. §. *sed istæ. 3. v. Aliæ autem sunt. & 14. §§. seqq. In. de A.* quorum copiosam explicationem præsens pagella nō capit. Civiles, quæ vel ex lege vel Scto, vel plebiscito, ac Principum constitutionibus proficiscuntur. Prætorix, quæ Prætorū edicto introductæ sunt.

27. Undè adhuc hodiè actiones ex constitutionibus Principum & statutis civitatum Imperij introductæ, rectiùs Prætorij quam civilibus actionibus annumerantur; Quia ab illis ad Imperatorem ut judicem supremum appellatio conceditur. *Schneid. ad §. omnium. In. de obligat. n. 5. ubi dissentit. VVes. lit. a.*

28. Ultraq; illa actio, civilis & Prætorix, vel directa est, vel utilis, inter quas tamen quo ad effectum nihil interest, sed differunt tantum quo ad causam & media concludendi. *l. antepenult. §. 1. ff. de negot. gest.*

29. Quomodo autem definienda sit directa, & quomodo utilis actio, scrupulum iniicit, qui male habet *Defectores*. Nobis aridet illa definitio, quod directa, recta ex verbis legis expressis detur. Utilis, ex mente legis, propter eandem rationem & utilitatem proficiscatur. §. *fin. In. de L. Aquil. l. 37. ff. de O. & A.*

30. 2. Ex causa finali affectio est actionum, quod quædam rei persequendæ gratia comparatæ sunt, quædam pœnæ, quædam utriusq; quæ ob id mixtæ dicuntur. §. *sequens. 16. In. de A.* Quarum exempla in tribus §§. seqq. declarantur.

31. Mixtæ verò actiones quia varijs modis appellantur, *Schneid. ad §. quædam 20. n. 2. h. v.* & studioso dubium hoc loco suboriri potuisset, anne etiam ijs annumeranda essent judicia illa famosissima *lib. 10. Pandect. & lib. 3. tit. 36. & seqq. C. exposita.* Idcirco Justin., quem valdè undiquaq; sollicitat discentium informatio §. 2. *In. de ju. & ju. §. 3. in fin. In. de legat. & cui in legibus magis simplicitas quam difficultas placet. §. 7. In. de fideicom. hered.* etiam hîc in tempore occurrere, & monere voluit, quod illæ actiones mixtam quidem causam obtinere videantur §. *quædam 20. hic.* revera tamen personales sint. *sup. thes. 22. l. 1. ff. fin. regund.*

32. 3. Ex causa materiali affectio actionum est, quod vel in simplex conceptæ sunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum. §. *omnes 21. cum sex seqq. In. d. tit.* quæ divisio toto præterea jure nusquam extat. *Giphan. in egr. In. comm. ad princ. d. §.*

33. Cum



33. Cum autem in illo §. omnes, alicui videri posset, quod Imper. ea, quæ à §. præced. sequens, dixerat, hîc præpostero ordine repetat: Ideò sciendum est, hunc §. omnes à d. §. sequens ratione finis differre: Quod videlicet usus distinctionis in §. sequens potissimum sit triplex: 1. ut sciamus, quæ actiones dentur & heredibus & in heredes, vel non. 2. quamdiu quælibet duret. 3. In quibus actionibus reus liberetur per cessionem bonorum, scilicet in rei persecutorijs; Et in quibus luendum esset corpore.

34. Divisionis autem in hoc §. omnis, hæc est utilitas, ut quis sciat, quid, & quantum peti debeat, ne in pœnam §. sed hæc 35. h. tit. incidat. Quæ omnia ex textu luculenter emergunt, quorum saltem generali delineatione nos contenti erimus.

35. 4. Succedit solemnibus actionum affectio ex causa formali, quod actionum quædam bonæ fidei sunt, quædam stricti juris. §. actionum. 28. In. h. tit. l. 5. & seqq. ff. de in lit. jur. Quam divisionem quidam arrodit Corasius 2. Miscel. 8. sed frustra.

36. Bonæ fidei actiones sunt in quibus libera potestas permittitur iudici ex æquo & bono æstimandi, quantum actori restitui debeat. §. in bonæ fidei. 36. In. de A. tex. notab. in l. quia tantundem. 7. ff. de negot. gest. Ex eo ita dictæ, quod in earum formulis addi soleat: Quiquid ex bona fide, dare fieri oportet. Et idcirco in his omnia dijudicantur ex bona fide, non tantum quæ præstanda non sunt, sed etiam quæ præstanda sunt.

37. Numero autem certò an definitæ sint, in d. §. actionum, an verò præter ibi enumeratas dentur etiam aliæ non inutilis quæstionis est? Nos illis assentimur, qui putant, quod Justin. hîc omnes actiones bonæ fidei complexus sit: Etsi enim præter septendecim enumeratas sint quoq; sex aliæ, nimirum contrariæ, ut contraria neg. gest. mandati, depositi, commodati, tutelæ, pignoratitia. §. 1. & seq. In. de obl. q. quasi ex contr. Eas tamen Imper. & tacitè hic subintellexit, ut inducatur textus non tantum de directis, sed etiam contrarijs; Et sint ita hodiè in universum viginti tres bonæ fidei actiones, præter quas nulla alia actio in toto jure reperitur, quæ bonæ fidei esset.

38. Sed an omnes in d. §. actionum, expressæ etiam sint bonæ fidei, an verò quædam earum stricti juris illud adhuc quæritur. Ast, omnem fluctuandi occasionem, à perfecta & absoluta actionum enumeratione in d. §. removeri opinamur.

39. Præ-



39. Præterea sunt qui censent, hanc actionum distinctionem, hodie ab usu recessisse, & jure præsertim Canonico amplius non obtinere vel valere. Quibus erroris dicam satis gravem impingimus. Nam licet formulæ, & definitio nominis *sup. th. 36.* in his actionibus hodiè sit sublata, *tot. tit. C. de form. & in petr. sub.* Rei tamen definitio, & causa, potestas nimirum judicandi in suo vigore, & viridi observantia est; In ipso quoq; jure Canonico, uti patescit ex *c. 2. X. de depos.*

40. *Stricti juris* sunt cæteræ actiones præter jam enumeratas, in quibus iudex nihil admodum potest, hoc est, neq; plus, neq; minus quam petitum est adjudicare.

41. Et stricti juris actiones vicissim sunt duplices: quædam propriè, quædam impropiè tales. Propriè strictæ sunt, quæ & natura strictæ sunt, & in effectu strictæ manent. Impropiè strictæ sunt, quæ effectu quodammodo bonæ fidei fiunt, & peculiari nomine *arbitrariæ* actiones appellantur.

42. Suntq; arbitrariæ actiones in quibus permittitur iudici ex æquo & bono secundum cuiusque rei de qua actum est naturam æstimare, *quemadmodum* actori satisfieri oporteat. *§. præterea, in in fin. In. de A.*

43. Ubi probè notanda venit particula *quemadmodum*, upotè quæ ponitur ad differentiam particule *quantum in §. 30. in prin. cod.* & facit discrimen inter actiones bonæ fidei & arbitrarias; expiciturq; ibi vox *quantum* rectè ex *l. 7. ff. de negot. gest.* hic verò vocula *quemadmodum* ritè exponitur ex *l. 68. ff. de R. Vind.*

44. Dubitatur verò de bimbri illa divisione & subdivisione; ac Giphanius *ad d. §. actionum. in princ.* rectiùs dici posse putat, eandem esse trimembrem, ut sint aliæ bonæ fidei, aliæ strictæ, aliæ deniq; arbitrariæ: Et statuit cum Giphanio communis ferè Interpp. schola, quorum propterea rationes in disputationis actu resolvere oportet.

45. Quod ubi fecerimus, ulterius defendere necessum habemus, quod arbitrariæ actiones non accenseri debeant bonæ fidei actionibus, ut Prisci voluerunt, sed potiùs stricti juris annumerari. *arg. l. 7. ff. de eo quod cert. lo. §. actionum, cum sup. dictis the. 37.*

46. Exempla arbitrariarum in *§. præterea, hic*, servata superius tradita summa actionum distinctione, in rem, & in personam septè adferuntur: Tria de actionibus in rem; Quatuor in personam. Cujus



in actionibus bonæ fidei contrarium constat, quippè quæ, excepta hereditatis petitione, omnes sunt in personam. *d. §. actionum.*

47. In primis & hoc observandum est, ex omnibus actionibus arbitrarijs, ex parte in Inst. collectis, & ex parte ex ff. colligendis; *Vult. 2. I. Rom. 4. §. cujusmodi n. 53. & seqq.* unam esse, quæ per excellentiam arbitraria dicatur; nempe actio ex stipulatu, de eo quod certo loco promissum est. *d. §. præterea. v. Item cum id quod certo loco. §. plus. v. Loco. In. h. t. tot. tit. ff. de eo quod cert. lo. l. si duo. ff. de constit. pecu. l. un. C. ubi conven. qui cert. lo.*

48. Rationes hujus distinctionis aliæ ab alijs adferuntur. Nobis illæ videntur stringere, quas methodicè exhibet *Vult. d. loco.* Quemadmodum etiam consecutaria ordine notanda sunt, quæ inde ibidem elicit. Quamvis illud dubio prorsus non careat, quod per exceptionem vel replicationem doli, stricti juris actionem dicit fieri bonæ fidei *d. ca. 4. lib. 2. I. R. n. 43.* Dissentit enim latè *Gædd. tract. de contrah. stip. cap. 8. à n. 28.* cui & nos libenter subscribimus.

49. Etenim exceptionis effectus tantus non est, ut possit actionis formam vel qualitatem mutare. *arg. l. 2. l. 22. ff. de except.* Uti nec propterea per pactum privatorum actio stricti juris in bonæ fidei transformari potest. e. g. si contrahentes adijciant clausulam usitam, *alles getrewlich vnd ohn geschrde. arg. l. 12. in princ. ff. de precar. Gædd. d. lo. n. 25.*

50. Clausulam illam hodie, crescente hominum perfidia, asperiores reddi & jurato efferri curant creditores, hoc modo: *An eines Körperlich geleisteten Eydcs statt;* cujus clausulæ juramenti quæ sit vis, & quos operetur effectus diligenter docet *Coler. de process. executiv. par. 1. ca. 4. n. 17. & cap. 10. n. 248. & 277.* De qua recentiores adhuc & proinde memorabilem invenimus decisionem in *Recess. Imper. de Anno 1600. fol. 759. §. Wenn in einer Verschreibung;* ubi deciditur: *Daß diß Juramentum nicht viam executivam verursache / sondern sey als eine besterung der obligation zu halten.*

51. Aliud magni momenti consecutarium est, quod in actione bonæ fidei etiam præter sortem principalem veniant usuræ, etiamsi de illis in contractu inito specialiter nihil sit conventum. *§. 5. In. de locat. & conduct. l. 2. l. 12. l. 17. C. eod.* Adeò, ut actor eas in libello petere possit, *mit interesse, schaden vnd vnkosten.* Quod enim vulgò dicitur,

B

tur,



tur, in bonæ fidei judicijs usuras & alia officio judicis accedere, non hunc sensum habet, quasi veniant parte non petente, sed quod veniant, etiamsi in formula nulla earum mentio facta sit. Verba sunt Bachovij *Vol. 2. disp. 2. thes. 8. in fine.*

52. Maximus deinde usus istius confectarij est, quod in b. f. judicijs fructus indistinctè veniant. *l. 38. in fin. ff. de usur. l. 24. in med. ff. de pos.* In strictis autem judicijs fructus non ex mora extrajudiciali, sed ex judiciali solum, quæ litis contestatione contrahitur, ex æquitate debeantur. *d. l. 38. §. 7. de usur.*

53. Plura deniq; ex nobili hac actionum distinctione comportant Interpp. quæ omnia ex illis repetere, non tam judicij esset, quam ostentationis, ut ex Barone se excusat *Vult. d. cap. 4. n. 94. in fine.*

54. Pergimus igitur ad §. Curare & seqq. h. tit. Qui non constituit novam divisionem, ut vulgò putant, & ut perperam instat argumenti supra §. notavit Pacius in sua edit. quæ hodiè in omnium manibus teritur, ibi, *Quinta divisio.* Sed generalis est iste §. ad præcedentem tractatum de actionibus bonæ fidei & arbitrarijs, in quo dictum, quod in arbitrarijs, multum incerti contineat petitio, propter arbitrium judicis. Quod iterùm Imperator monere voluit, & inculcare, ut Judex quantum possibile ei sit, certam sententiã ferat.

55. Ad eandem disputationem de actionibus b. f. & arbitrarijs pertinet §. *si quis agens. 33. h. tit.* Non quia in toto tit. prohibitum sit propria autoritate rem occupare, &c. ut nimis generaliter continuat *Schneid. hic n. 1.* Sed quia in illa distinctione dictum est, quomodo in actionibus b. Fidei & Arbitrarijs nunc plus, nunc minus actor consequatur, idq; tum propter ipsam actionum naturam, & Judicis in ijs potestatem; tum propter compensationem, quâ sœpè minus actori conceditur, quam putet: Ideo proximum judicavit Imper. exponere, quid juris, si actor ipse plus petat.

56. Quæ expositio se se ad finem usq; hujus tit. de A. extendit. Nam in §. *si quis aliud. 37.* declarat Imper. quid juris sit in casu contrario, quando actor non id petit quod revera debetur, sed per alium, vel alia de causa petit.

57. Quo ex textu deceditur anceps & gravissima controversia; An libellum post litem contestatam corrigere liceat? Cujus negativam usus fori probat; Affirmativam autem hic §. in verbis

*in ca.*



in eodem iudicio aperte indicat, quocirca hæc verior videtur, quia iudicium propriè incipit tempore litis contestatæ, & ad sententiam durat. Nihilominus illa à Dd. communiter recepta opinio, quia usu passim invaluit, non temerè repudianda erit. *Enucleate Ilico Vmm, disp. process. 6. th. 16. n. 77. v. Quibus omnibus.*

58. In §. sunt præterea 38. h. tit. similiter connectio ad priora patet; Ut enim in illis actor malè agit, qui vel plus vel minus petit; quam ei debetur: Ita è converso benè quidem agit, qui id petit, quod sibi debetur, Attamen non semper solidum, sed aliquando minus debito consequitur: Nam ut plus varijs modis: ita & solidum variè æstimatur l. 9. 21. 29. ff. de solut. Et subiiciuntur, in hisce §§. certè actiones, quibus non semper solidum petere licet, aut quibus non fit, condemnatio in solidum.

59. Actionum illarum 4. sunt genera. 1. Actio de peculio. h. §. sunt præterea. 2. Actiones quæ competunt contra personas privilegiatas, privilegium nimirum competentia habentes, de quo vid. Coler. de process. execut. par. 2. ca. 3. n. 118. & Benedict. Benedell. in tractat. de privil. competent. 3. Actio cui opponitur compensatio. §. 41. h. tit. 4. Si agatur cum eo, qui bonis cessit. §. fin. d. tit. In. de Act.

60. Quæ cum ita sint, iterùm non adeò accuratè in editionibus nostrarum Insti. posita est à Pacio inscriptio d. §. sunt Præterea. Divisio sexta: Cum non sit mens Triboniani novam ibi divisionem exponere, sed potiùs omnia ad priorem disceptationem, quæ plus minus quam solidum petitur referre.

61. Titulo igitur de Actionibus ad finem deducto, & absolutis in eodem affectionibus actionum ex causis quatuor, Efficiente, nimirum, finali, materiali & formali: Orditur Justin: affectiones actionum ex modo quodam consentaneis; nimirum 1. ex subjecto, De negotijs cum eo gestis qui in aliena potestate est. tit. quod cum eo qui in al. pot.

62. Cujus quidem ordinis rationem ipse Imper. reddit princ. h. tit. Sed Præter illam adhuc alia connectio est, quæ etiam ad seq. tit. se porrigit. Ut enim priori titulo actum, de actionibus personalibus ex Nostro contractu vel delicto descendentes; Ita dicitur hic de ijs, quæ oriuntur ex Nostrorum vel contractu, vel delicto. Et



delicto quidem, aut Vero, filiorum & servorum, aut Quasi delicto, animalium.

63. Quo respectu hæc distinctio non est affectionis actionum ex subjecto, sed potius à causa; ut intellectu facile est; quod nos saltem hic monere, interim tamen nihilominus in generali dispositione propter diversum respectum, eandem admittentem, subsistere volumus.

64. De contractibus itaq; eorum, qui in nostra potestate sunt sex actiones proponuntur. *tit. quod cum eo qui in al. pote. et. quarum lata prosecutione ipse Imper. in prin. b. tit. nobis interdicit, ibi, ne verbosa fiat disputatio.* Hoc tamen annotandum est, quod *tit. in ff. & C. non sex actiones exhibeant, ut hic, sed tres tantum contineant, quod jussu, de in rem verso & de peculio. l. 1. in fin. ff. quod cum eo. l. 1. §. 1. ff. de pecul. pars. 2. Rubric. C. eod.* Fortè propterea, quia hæ tres actiones dantur tantum ex contractu eorum, qui in aliena potestate sunt; Reliquæ proveniunt etiam ex contractu eorum, qui sui juris sunt, vel qui bona fide serviunt, ut tributoria, Exerc. & institoria.

65. Seorsim aliàs agitur de his actionibus *in tot. lib. 14. & 15. Pandectarum: Et in lib. 4. tit. 25. cum seqq. in Codice.*

66. Et ordo circa has actiones in Institut. servatur talis, ut præferantur & præmittantur illæ, quæ *solidum* persequuntur. In D. & C. illud in considerationem venit, ex quorum contractibus nascantur, an ex eorum qui sint nostræ, an verò qui suæ potestatis. Ita semper alia atq; alia consideratione, & respectu diverso, ordo & titulorum connectio diversam rationem sortitur.

67. Actio quod jussu prima est, cujus natura multum cum actione mandati convenit. Quod enim in hominibus liberis est mandatum: id in servis & filijs. est jussus. *l. ult. in verbis final. ff. quod jussu.*

68. Secunda est exercitoria, cui valdè vicina, institoria jungitur, & de utraq; permixtim hic agitur. Nunquam tamen nomina earum confunduntur. Sed Exercitoria est mercium quasi maritimarum, & nomen habet à præponente nauclero. *Cujac. in par. hic.* Institoria autem mercium terrestrium, nomen habens à præposito.

69. Ita institor & magister semper discernuntur, cum hic in navi,



navi, ille in taberna degat & administret. *l. 3. §. 3. ff. nant. caupon. stabular.* Hodie institores, à majoribus mercatores *factores* vocantur, semibarbare tamen.

70. De quibus factoribus dubium difficilè est, an ex contractu, tempore administrationis celebrato, etiam finito illorum officio conveniri possint? Quod distinctione resolvimus; tum nimirum conveniri eos posse si suo quoq; nomine se obligarint. Alioqui non posse. *l. fin. ff. de institor. arg. l. procurator. 67. ff. de procurator.*

71. Diversum obtinet in *proxenetis*, seu conciliatoribus peregrinorum, ignotorum, & diversæ linguæ hominum, utpotè, qui ex dolo & lata culpa tantum tenentur. *l. 2. ff. de proxenet.* Quos rectè in causis matrimonialibus quidam non admittunt, nisi pro matrimonio agant.

72. Sanè proxeneticum petere ut per se sordidum & vile est: Ita maximè in causis matrimonialibus illud postulare, in civile imò impudentissimum est: Et si antè conciliationem nuptiarum exigatur, dolosum & fraudulentum præsumetur, atq; sine dubio talis proxeneta arbitraria insuper poena afficiendus erit, qui immensam remunerationem sibi ipsi determinavit urfit, præsertim si cum comminatione hoc fecit, & eo nomine & debiti confessionem accipit, quale exemplum aliquando observavimus, & de eo textum notab. invenimus in *L. ult. C. de Sponsal. Cujac. lib. 11. observat. cap. 18.*

73. Porro, quarta actione, tributoriâ, fit distributio inter dominum & creditores: quinta verò actione de peculio ante deducitur, quicquid domino debetur. Quia in tributoria servus, sciente domino negotiatur: In hac contrahit domino tantum permittente. *l. 5. §. 2. in fin. ff. de in rem vers.* In tributoria igitur dominus sibi imputet quod sciens non protestatus est, vel contradixit. *l. 1. §. 3. ff. de tributor. actione.*

74. Ultima actione de in rem verso dupliciter agitur, 1, ut si accessio actionis de peculio, & eatenus, duæ illæ actiones, ad unam, pertinent. *§. 4. hic v. licet. l. 2. 19. eod. l. 2. §. 12. ff. de hered. vel act. vend.* Vel 2. ut intentetur de in rem verso separatim, & tunc est propria actio. *l. 1. §. 1. & 2. l. 5. §. 2. ff. de in rem ver.*

75. Has actiones ex contractu nostrorum, excipiunt noxales actiones ex verò delicto eorundem in *tit. de noxal. action.* de quibus



agitur sub Rub. D. & C. eodem. ad quem titulum bis repetita extat  
Matt. Wesembecij commentatio. Semel in complemento ad Schneid.  
in *Instit. hic*. Et altera vice à verbo ad verbum ad tit. C. eodem.

76. Hodie moribus nostris, quibus liberis ministris utimur,  
ex quorum damno non nisi ratione debitæ mercedis tenemur, no-  
xalium nullus proprius est usus.

77. Noxa animalium, noxali actione si quadrupes pauper. &c.  
compensatur. *tit. ff. & Inst. hic*. hac scilicet sub distinctione, quod Fe-  
ritas animalium fit vel naturalis, vel commota. Illa genialis in tex-  
tu dicitur, de qua hæc actio non datur. Hæc, commota, est vel alieno  
impulsu; & itidem actio noxalis cessat; vel sua sponte, & eo pro-  
priè casu competit.

78. Post hæc, quia A C T O R qui suis rebus ipse superesse vel  
nolit, vel non possit, per alios rectè agit. *l. 1. §. 2. ff. de procur.* hoc loco  
expositis actionibus, collocatur tit. de ijs per quos agere possumus.  
*Add. tit. ff. & C. de Procurat.*

79. Et cum nemini facilè conceditur, alieno nomine sine sa-  
tisfactione litigare, idcirco tit. de satisfactionibus è vestigio adjicitur.  
De quibus titulis Interpp. prolixè tractantes, consulantur.

80. Postremò, Actionum affectionem 2. à modo quodam,  
consentaneis subnectit Impe. videlicet ex Adjuncto temporis de-  
sumtam, quod aliæ actiones sint perpetuæ, aliæ temporales.

81. Cui insuper aliam attextit ab objecto, quæ actiones in here-  
des & ad heredes transeunt. *tit. de perpet. & tempor. act. & quæ ad he-  
red. & in hered. transe.*

82. Illa affectio perpetuarum & temporalium actionum ex  
jure veteri originem habet, quo inter jus civile & Prætorium distin-  
guebatur, & Prætoriam actiones plerumque annuæ erant, 1. quod Præ-  
tor eas potissimum ex æquitate præter vel contra jus dabat. 2. quod  
multæ ex maleficijs proditæ, & sic, tanquam odiosæ restringendæ.  
*l. 35. ff. de O. & A. l. 19. in fin. ff. de liber. & postum.* De jure autem no-  
vo hæc distinctio multum est limitata.

83. Posterioris affectionis actiones, in heredes vel ad he-  
redes transeunt, distinguuntur in rei persecutorias, & Pœnales;  
quarum illæ & heredibus & contra eosdem dantur. Hæ rursus vel  
ex contractu sunt, & tam contra heredes quam heredibus conce-  
duntur,



duntur, l. 23. si servus. 4. & 5. ff. de adilit. edict. Vel ex delictis nascuntur, & heredibus quidem non autem in heredes competunt. Locus est singularis apud Cic. lib. 7. famil. epist. 22. Geil. 1. de PP. cap. ult. n. 21.

84. Cæterum, actionibus in gratiam actorum satis enucleatis, declaratur REORUM causa, doctrina de Exceptionibus. tit. ff. & Inst. de except. Comparatæ enim sunt exceptiones defendendorum eorum gratia cum quibus agitur. princ. In. h. tit.

85. Dividuntur exceptiones in textu bifariam. 1. In civiles & prætorias. § 7. & rectè quidem si causam earum spectes. Si verò rationem & æquitatem consideres, quæ non civilis, sed naturalis est, l. 1. §. 1. ff. de dol. excep. l. 95. §. naturalis. ff. de solution. l. 36. de V. O. rectè omnes dici possunt & debent Prætorias.

86. 2. Distinguuntur ab effectu in dilatorias & peremptorias. Illæ differunt, hæ perimunt actionem §. 8. & seq. h. tit.

87. Practici plenius exceptiones faciunt triplices, quando jam dictis duabus speciebus tertiam de Anomalis addunt, quales sunt non numeratæ pecuniæ & dotis, ordinis & ex epistola D. Adriani.

88. Verùm, quia jus exceptionis è converso ab actore resolvitur & replicatur; ideò tit. de Replicationibus Imp. præterire noluit, Qui habet concordantes textus in l. 2. l. 15. & l. 22. ff. & l. 37. 10. C. eodem.

89. Replicationes autem interdum valdè multiplicantur, si contra eas reus duplicet, actor porro replicet &c. Cui infinitati officio judicis modus imponi solet, prout hodiè in ord. Cam. Imper. part. 3. tit. 26. 29. & 38. cautum est, ut in dilatorijs exceptionibus non ultra duplicem, In peremptorijs non ultra triplicem procedatur, nisi judicialiter videatur.

90. Tandem duo intermedij tituli, tam ad actorem quam ad reum pertinentes, se offerunt. 1. de Interdictis, quorum aliquot ponuntur divisiones, 1. ratione materiæ, & rerum de quibus interdicitur. 2. ratione effectus, quod alia sunt prohibitoria, alia restit. alia prohibitoria. Prohibitoria hic 4. enumerantur, cum sint alias plura, quam viginti; Nam prohibitoriorum numerus est maximus. Vult. 2. I. R. 21. à n. 23. 3. Interdicta dividuntur ratione temporis. 4. ratione litigantium, quatenus in illis uterq; potest dici actor & reus, vel non. Ex qua divisione hæc dispositio fundamentum habet. 5. Divisio



visio sumitur partim à materia, partim à fine quod sint adipiscendæ, retinendæ, & recuperandæ possessionis. §. 2. & seqq. h. tit.

91. De interdictio retinendæ varijs DD. opinionibus agitata quæstio est, si utriusq; partis per omnia sint æquales probationes, pro qua iudex pronunciare debeat. *vid. Schneid. ad d. §. Retinendæ à n. 88. In qua Geilium sequemur in lib. de Pignor. obs. 22. n. 7. à n. 4. ad 12. omnino.*

92. Alter titulus de pœna temerè litigantium prolixè à DD. explicatur. *Matt Wesenb. ad §. 1. in compl. Schneid. revocat verbotenùs explicationem tit. C. de jurejur. prop. calumn. & ad §. final. ibid. de toto ordine judiciorum verba facit, ad quem nos remittimus.*

93. Tandem telam hanc absolvit & claudit JUDICIS officium. *tit. de offic. jud. dignum profectò, quod peculiari tractatu pleniùs informetur & exponatur. Doctores illud in nobile, quod est imperio mixtum, & mercenarium distribuunt, quod actioni deservit. Quam distributionem falsam, ineptam & in jure inauditam dicit Giphanius in utilissimo aliàs Inst. comm. ad princ. In. de Action. in fin. editit. prioris. In cujus rationem inquiremus.*

94. Ultimò, de publ. judicijs colophonis loco aliquid annexere, tempus & spacium, nos antevertendo, denegant. Quare sint hæc pro tempore omnia, quæ de tertio juris objecto non ab ovo quod ajunt, repetere, sed extremo tantum digito attingere, neq; tamen eadem inutilibus allegationibus insuavia reddere volumus. Faxit DEUS omnipotens, ut omnibus diebus vitæ nostræ

Actiones omnes Virtute,  
Virtutes omnes Justitiâ,  
Cuncta JESU Semitis Metiamur.  
FINIS.

---

*Ad Doctissimum Dn. RESPONDENTEM, Contubernalem & Amicum unice dilectum.*

Pagina, parva licet, quidnam fiet ACTIO, tractat;  
Anne his Primitijs omen inesse putes?  
Heus! quoniam Eunomiæ vis solo constat in ACTU;  
ACTU an Te Magnum (quis neget) omen erit?  
O sit! in his studijs Patrem superare labora,  
Claro Patre minor ne videre Tuo.  
O sit! Amice valens age commendatus Olympo,  
Atq; Tui firmo pectore vive memor.

THEOPHILVS RETHEL Silesius.



Ja 666



ULB Halle 3  
002 177 021



A white rectangular library label with a barcode and identification numbers.

5b-700

Von 7

MC









